



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

5 Simoniaca iudicabitur pactio, vt resignatarius quid pro resignante soluat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



- 89 Confidentialis simonia est, si compermutantes pacifcantur.
- 90 Simonia crimen, etiamsi detur res modica, graue peccatum est.
- 91 Examinator, an promouendum in actu examinis clariorem reddendo, penas incurrat.
- 92 Fauorem, apud alium interponens pro aliquo ad Cardinalatum promouendo, an sit simoniacus.
- 93 Simonia an sit extinguere pensionem, vt alter annua illi praestet.
- 94 Venia peccati non datur nisi correcto.
- 95 Simoniace de beneficio: si pensione prouisus, interim fructus facit suos.
- 96 Resignarius pecunias pro expeditione literarum resignanti mutans, an sit confidentiarius.
- 97 Resignarius accepta possessione beneficii, resignanti an aliquid dare possit.
- 98 Resignans an post resignationem, & captam possessionem a resignatorio, vicarius ad regimen beneficii constitui possit.
- 99 Confidentiarij promittentes resignanti retrocedere, an olim pacta seruare teneantur.
- 100 Beneficio, post eius erecti nem vacanti onus imponi potest a superiore, non tamen persona de eo prouidenda.
- 101 Paruus petens, aut exigens aliquid dari solum pro benedicti one nuptiarum, non est simoniacus.
- 102 Extraneus Pij V. contra simoniacos lata inhabilitans simoniace acquirentes beneficia, non ligat acquirentes pensionem.
- 103 Ignorantia probabilis a censuris & penis excusat.
- 104 Mediator simonia restituere tenetur fructus beneficii ex causa suae mediationis male perceptos.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 3.

**P**restationes ab immemorabili tempore alicuius ecclesie Canonis in collatione beneficii, siue a Papa, siue ab ipsis Canonis facta, solui solita sine labe Simonie solui, & accipi possunt. Papa enim huiusmodi annate solutionem facientem predictis canonicis, seu capitulo eorum ad se honeste sustentandam, quoties beneficium vacauerit imponere potest, arg. extrau. Suiccepti. Ne Sede vacante, is cui beneficium confertur iuste sine simonie vicio conferenti, vel cuiuslibet alij in tituli acceptationem promittere potest, quicquid iuste post acceptationem debet: Quia expressio eius, quod tacite intelligitur, simoniam non inducit: Glo. in c. ad audientiam 2. de rescript. & praestatio huiusmodi immemoralis iustitiam dandi, & accipiendi causam esse praesumitur. cap. super quibusdam. de verbor. sign.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 101.

**Q**uamuis aliquando Confessarius, vel Penitentarius Summus, vel Minor ei, qui simoniam admisit, & absolutionem a peccato, vel a censuris petit, iniungere possit onus mouendi eum, cum quo simoniam admisit, vt eius penitentiam, & restitutionem faciat quam ob id facere tenetur, nihil enim quando ex circumstantijs personarum, & causarum cogitur, id absoluendo nimis graue non fore, & prodesse possit, & non obesse apparet; Id tamen regulariter faciendum non est, cum nec vlla ratio in iure Diuino, Naturali, aut humano fundata reddi possit, cur magis teneatur simoniacus admonere sui peccati confortes, & complices quam in alij, qui alia grauissima peccata committunt, & censuras grauioribus, quam simoniaci incurrunt. Nec lex vlla sit, quae hoc onus simoniaci imponit, capit. Quoniam. cap. cum essent, & capit. Nobis. de simonia.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 40.

**D**vo clerici opponere se volentes vni beneficio patrimoniali vacanti, & vnus eorum minus dignus, alteri digniori opponere volens irregularitatem, veram quidem, sed occultam, quam probare non potest, nec in iudicium deducit, sed interuentu amicorum conuenit inter ambos, vt omnibus exceptionibus omissis se submittant examini, & qui iudicatur dignior, habeat beneficium, & alteri pensionem annuam cum beneplacito Sedis Apostolicae soluat; & deinde dignior dispensationem super irregularitate, & retentione beneficii obtinet, nulla tamen facta mentione de praedicta conuentione; talis collatio propter praecedentem irregularitatem est nulla; ex Innoc. in cap. cum nostris de confess. praeb. & cap. cleri. de cler. excom. mimit. & tenetur dignior, cui collatum est beneficium ad restitutionem minus digno faciendam eo modo, quo impediens aliquem ab officio, vel beneficio consequendo tenetur: ita Na. in Man. c. 17. nu. 69. Quia minus digno fuit ius ad rem quaesitum in beneficio coram Deo, & in foro conscientiae, & huiusmodi conuentione de non opponendo alteri exceptionem propter promissionem pecuniae, est simoniaca ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100. non quidem realis, quia non fuit ab vtraque parte impleta, sed conuentionalis solum, eo quod licet minus dignus adimpleuit eam non opponendo dignior tamen non adimpleuit constituendo, aut soluendo pensionem, & consequenter non fuit incurta ipso iure excommunicatio, nec irregularitatem nouam celebrando incurrit.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. alias 51.

**D**vo volentes beneficia sua permutare, & conuenientes, quod si vllum illorum beneficiorum inueniatur aliqua pensione grauatum, is, cuius erat illud ante permutationem, pensionem illam solueret, Simoniam saltem conuentionalem committunt; quia interuenit pactum, quod est medium permutationis faciendae, & omne tale renunciationem, collationem, & permutationem simoniacam efficit, cap. quam pio. 1. q. 2. & cap. si de pact. Quod si consecrata, postea permutatione, ordinarij auctoritate, nulla de praefato pacto facta mentione, appareat alterum illorum beneficiorum esse pensione grauatum, is, qui ante permutationem pensionem debebat, si pensionem, antequam impetretur facultas a Papa id faciendi, soluat, simoniam, quae prius conuentionalis tantum fuit, (eo quod solum promissio de soluendo pensionem praecessit, quae nondum impleta fuit, & proinde ad simoniam realem non peruenit) realem soluendo committit, cum iam ex vtraque parte impleta sit promittendo scilicet & soluendo, ita Na. in Man. c. 23. nu. 106.

DECISIO V.

Ex cons. 5. alias 25.

**P**actio, qua renunciarius certam pecuniam pro renunciante beneficio soluere promittit, si in fauorem suum illud resignet, conditione impleta, simoniaca est ex vtraque parte, cap. quam pio. 1. q. 2. & c. fin. de pact. & renunciatio talis vt pote simoniaca, nulla, & inuvalida est, ita Innocent. in capit. cum vniuersorum, de rerum permutat.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. alias 47.

**D**vo litigantes super beneficio, quod vterque per statuta foundationis sibi debitum esse contendit, & superuenientibus alijs litigatoribus eadem ratione sibi debitum contendentibus conuenientes inter se, vt mutuo se se contra alios inuent, & alteruter eorum, qui obtineret, alteri constitueret certam pensionem, & vt impensis essent communes, quae omnia, excepta poena pecuniaria, sub qua se ad id obligabant, beneplacito Papae subderunt, ita quod sine illo nulla essent, & praeterea, vt communibus impensis beneplacitum impetraretur: Post

K 2 que